



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Wandregisilvs C. 22. Iulii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

imprudens. Interea Eulogius mortuo Imperatore, honorum fastigio opibusque omnibus excidens in latomias suas postliminio devolvitur, mox cum paupertate pauperum amor & una virtutes omnes ab exilio revocantur. Tam male, ô Divites, vitæ sanctitati cum divitiis, tam bene cum paupertate convenit. *Ex Pet. de Nat.*

S. WANDREGISILVS C.

22. Iulii.

EXemplo in paucis memorando EWANDREGISILVS nobilissimam Sponsam conciliavit Christo; ipse Dagoberti aulam, cujus comes erat, Asceterio posthabuit. Inde revocatus regis imperio ad ipsa palatii limina curram rusticelli eversum magno labore, majore sui contemptu, è luto sustulit. Risere scilicet aulæ mancipia, cum principem animum in cœnum abjicere se viderunt. At intempestivos cæchininos castigavit DEVS censor, quando, qui vestes purgaret WANDREGISILI luto asperfas, è caelo palam Ephebus adstitit, & servitia tam nobilia rex ipse Dagobertus invidit. Cum bonâ igitur hujus veniâ deinceps compluria Cœnobîa WANDREGISILVS nobilitavit, unum etiam ipse extruxit Fontinellense dictum, & sub signis monachos CCC. numeravit.

Habuit

Habuit verò ad hæc hortatorem Ange-
lum, qui & testem se rectè factorum
& verò apud Superos præconem etiam
fore pollicitus est. Interea, qui Divo
necem parabat regio saltui præfectus, à
malo genio correptus, Sospitatorum
WANDREGISILVM sensit.
Annonam egenti monita à coelo Re-
gina Blitildis misit, Æger acie tamen
Dæmonum aciem vicit, & de victoriâ
gratulantes Cœlites audivit. Demum
ne de coelo ipso dubitaret, triduo antè
hoc visum est morituro patere. *Ex Sur.*

S. MARIA MAGDALENA.

22. Iulii.

MAGDALENA, quæ omnium
in spem peccantiû animos erigit,
utinam etiam in poenitentiam erigeret.
Tantum lacrimarum potuit lavacrum,
cùm aquas Amor oculis deplueret à
flammis suis calentes, cùm ingeniosus
è capillis lintea texeret. Ergo tot dæ-
monum malorum nuper hospitium,
CHRISTI fit hospita, hujus sermoni-
bus frui & amoribus digna est, ab hoc
apud Simonem de audaciâ, apud so-
rorem de otio, apud Iudam de prodiga-
litate accusata defendi semper meretur,
apud hunc Fratri defuncto vitam exo-
rat, hunc nardi odoribus recreat, mi-
nistra per Iudæam sequitur, & in cru-
cem sequitur; hîc pedes lacrimis ite-

C C 4

rum